

nandas, honores, divitias, voluptates contemnendas docet; quæ nihil nisi lacrymas, poenitentiam, mortificationem incalcat; nihil in hoc mundo promittit nisi pericula, afflictiones, persecutiones, humiliactiones, tormenta, cruces. 4. Sub hujus Religionis apparenter stultæ, tam duræ, & asperæ, jugo hi pauci piscatores contemptibiles subjecerunt non indoctos solum, & simplices, sed viros doctissimos, Dionysium, Clementem, Irenæum, Justinum, Arnobium, Athenagoram, Lactantium, Tertullianum, etc. Neque solum plebejos, sed ipsos Principes, Reges, Imperatores. 5. Denique hæc Religio, atque Doctrina propagata est, & creavit in medijs persecutionibus, impugnantibus Principibus, & Magistratibus, contradicentibus Philosophis, sæviente Diabolo, atque omni suppliciorum genere contritante; & quanto magis impugnabatur, tanto magis crevit, ac prevaluit, ita ut sanguis Martyrum factus sit semen Christianorum.

Quis sanæ mentis, si ad hæc attendat, non cognoscat Religionem, qualem descripsimus, hoc modo natam, adultam, & propagatam, non esse ingenii humani inventum, sed opus Dei omnipotentis. Neque enim fieri potuit, ut doctrina a sapientia humana tam aliena, tam sensibus repugnans, tam aspera, & dura, Orbem universum tam

celeriter pervaderet, & inter persecutiones, tormenta, & contradicentiones hominum, & demonum reciperetur a Principibus, & Eruditis, idque per paucos piscatores, pauperes, & rudes, nisi Deus efficacissimè operatus fuisset, tam in eis, qui illam prædicarunt, quam in eis, qui illam receperunt.

His positis, resumo argumentum initio Dissertationis factum. Ratio suadet, imò cogit, nisi sit prorsus inversa, & turbata, agnoscere hanc Religionem esse veram, a Deo revelatam, & institutam. 1. quam Prophetæ longe antea prænuuntiarunt. 2. quam ejus Auctor, & illis cooperatores pariter Prophetis adimpletis, & miraculis patentissimis confirmarunt. 3. Denique, quæ sola virtute divina contra omnes humanæ prudentiæ leges est nata, adulta, & per Orbem universum propagata; atque hæc est Religio Christiana: ergo ratio suadet, imò cogit, nisi sit inversa, & turbata, agnoscere Religionem Christianam esse veram, a Deo revelatam, & institutam. Majorem nemo sanæ mentis negare potest: Minorum invictè probavimus. Stat itaque inconcussa Conclusio: proindeque necessarium est, ut vel Deista nuntium remittat rationi; vel agnoscat, Religionem Christianam esse veram, & divinam.

## DISSERTATIO III.

## DE ACTU INTERNO, ET EXTERNO FIDEI.

## D. Thom. Quæst. 2. &amp; 3.

Duplex distinguitur actus fidei: unus internus, quo assentimur certis, & firmiter veritatibus, à Deo obsecrè revelatis, propter ejus auctoritatem; & dicitur credere: Alter externus, quo exhibemus signum aliquod hujus interioris assensus, & dicitur Confessio, juxta illud Rom. 10. *Corde credatur ad justitiam; ore autem Confessio fit ad salutem.* De utroque dicemus in præsentî Dissert. & primo de actu interno. Undè sit

## ARTICULUS I.

Utrum sit de necessitate salutis credere aliquid supra rationem naturalem?

Redere dicitur tripliciter, (*Hic q. 2. a. 2. o.*) scilicet credere Deo, credere Deum, & credere in Deum: propter triplicem respectum, quem fides habet ad suum objectum. Vel enim respicit Deum ut objectum formale quod; & sic dicitur credere Deo: vel recipit Deum, ut objectum formale quod; & sic dicitur credere Deum: vel tandem respicit Deum ut finem, in quem tendit; & dicitur credere in Deum. Itaque credere Deum est credere Deum esse; credere Deo est credere ipsi aliquid revelanti; credere in Deum est credendo tendere in ipsum ut ultimum finem, propter quem credere volumus. Duplex est necessitas, scilicet mediæ, & præcepti, de qua jam non semel dixi, & ut breviter repetam. Illud dicitur necessarium necessitate mediæ ad salutem, sine quo, etiam si inculpabiliter omisso, salus haberi non potest, sive ex natura rei, sive ex institutione divina, ut est gratia pro omnibus, baptismus in re pro parvulis, poenitentia pro peccatoribus. Dicitur autem necessarium necessitate præcepti, quod, quamvis non sit medium absolute necessarium; quia tamen est præceptum, est necessario observandum, ita ut ejus omisso voluntaria sit peccatum, quod salutem impedit. In hoc, & sequenti art. quæstio est de necessitate mediæ.

Dico 1. (*Ibid. a. 3. o.*) Fuit omni tempore necessarium omnibus adultis necessitate mediæ ad salutem, credere fide supernaturali aliquid supra rationem naturalem. Prob. 1. ex Scriptura. Apost. Hebr. 11. dicit: *Sine fide impossibile est placere Deo: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Apostolus autem loquitur de fide supernaturali, constat; quia loquitur de fide, quam paulo antè in eodem capite definiaverat, quod sit *sperandarum rerum substantia, & argumentum non apparentium.* Hæc autem fides est supernaturalis, cum res sperandæ humani ingenii captum superent, & res non apparentes humana ratione investigari non possint. Mart. ultimum, Christus dicit: *Qui non crediderit condemnabitur.* Et ibi est sermo de fide in Evangelium, consequenter de fide supernaturali. Item Joann. 3. *Qui non crediderit, jam judicatus est: fide item divina, additur enim: Qui non credit in nomine unigeniti filii Dei.*

Prob. 2. Ex Trid. Sess. 6. c. 7. ubi, cum dixit Baptismus esse Sacramentum fidei, addit, *sine qua nulli unquam contigit justificatio.* Annotandæ sunt hæc particule nulli, & unquam, quibus aperte significatur necessitas mediæ pro omni tempore. Et c. 8. dicit: *Fides est salutis humanae initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

Ex omnibus his auctoritatibus habemus, quod, est Deus possit hominem salvare absque sui cognitione, & amore, noluerit tamen: idque congruenter hominis nature, ut patebit ex ratione seq. Undè

Prob. 3. Ratione. Necessarium esse necessitate mediæ ad salutem, quod homo, qui ratione regitur, cognoscat finem ultimum, in quem tendit, & mediâ, quibus ad illum pervenitur; atque hæc cognoscere non potest per rationem naturalem, sed per solam revelationem, seu fidem: ergo. Prob. Min. Finis ultimus, in quem homo tendit, est supernaturalis, scilicet, consortium gloriæ Dei; mediâ, quibus ad illum pervenitur, sunt pariter supernaturalia, scilicet actus virtutum supernaturalium fidei, spei, & amoris; mediâ enim debent proportionari fini; atque hunc finem, & hæc mediâ non potest homo cognoscere per rationem naturalem, sed per solam revelationem; ratio enim naturalis non dicitur, Deum velle admittere hominem ad consortium suæ gloriæ, neque explicat hæc mediâ, quibus ad illum pervenitur: ergo.

Dico 2. Fuit omni tempore necessarium necessitate mediæ ad salutem, credere fide supernaturali determinatè, & explicitè hæc duo, scilicet, Deum esse Auctorem gratiæ & Remuneratorem gloriæ. Patet ex Apost. laudato c. 11. ad Hebr. dicente: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit;* in quibus duobus credibilibus cætera continentur, ut dicitur est superius. Apostolus autem loquitur de Deo, & remuneratore in ordine supernaturali, scilicet, quod sit auctor gratiæ, & remunerator gloriæ, constat: tum quia cum dicit, *credere oportet,* loquitur, ut jam notavimus, de fide supernaturali, quam antè definiaverat, quod sit *sperandarum substantia, & argumentum non apparentium,* tum quia postea in eodem capite dicit de Abraham, quod cum aliis SS. Patribus meliorem patriam appeteret, *id est, caelestem;* & de Moysè, quod, thesauro Ægyptiorum contempto, *aspiciebat in remunerationem, utique caelestem.* Hinc

## ARTICULUS II.

Utrum in hoc statu Legis Evangelicæ Fides explicita Incarnationis & Trinitatis sit necessaria necessitate mediæ ad salutem?

Redere aliquid explicitè, est illud credere sub propriis & particularibus terminis, sub quibus nobis proponitur. Sic credit explicitè Mysterium Incarnationis, qui credit Filium Dei assumpsisse naturam humanam, & Christum esse Deum & hominem. Credit explicitè Mysterium Trinitatis, qui credit, Patrem & Filium & Spiritum S. esse unum Deum & tres Personas. Credere autem aliquid implicitè, est credere in alio, sive ut in principio universaliori, in quo continetur; sive ut in sensu Magistri, cui adheretur; sive ut in umbra & figura, quæ scitur habere significationem, quamvis res significata clarè non cognoscatur.

Suppono 1. (*Hic q. 2. a. 7. o.*) antè resolutionem, quod antè peccatum Adam habuerit fidem explicitam Incarnationis, secundum quod ordinabatur ad consumptionem gloriæ, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per Passionem, & Resurrectionem; non enim fuit præscius sui peccati futuri. Ità colligit Auctor ex hoc, quod Adam afflatus Spiritu S. dixit Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ;* & hoc Apost. Ephes. 5. dicit Sacramentum magnum in Christo & in Ecclesia; quatenus, ut explicat Hieron. in hanc Ep. Christus reliquit patrem suum Deum, & matrem suam caelestem Jerusalem, & venit in terras propter Ecclesiam, quam sibi desponsavit. Suppono 2. (*Ib. & ad 3.*) post peccatum, antè promulgatum Evangelium, fuisse omni tempore necessariam necessitate mediæ ad salutem aliquam fidem Incarnationis. Patet 1. Ex Apost. Galat. 2. dicente: *Non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi.* 2. Ex S. Petro Act. 4. Non est, inquit, in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum, in quo oporteat nos salvos fieri. Propositio est universalis ad nullum tempus restricta. 3. Nos non salvamur absque fide Incarnationis. Atque eadem est fides nostra & antiquorum antè Legem Evangelicam, juxta illud Pauli 2. Cor. 4. *Habentes eundem spiritum fidei;* in quæ verba Aug. Epist. 89. non diceret, inquit, eundem spiritum fidei, nisi admonens etiam antiquos justos habuisse ipsum spiritum fidei, hoc est, Incarnationis Christi. Quod repetit alibi pluribus S. Doctor. 4. Sicut necessaria est Redemptio Christi, ita & fides illius, per fidem enim applicatur Redemptio juxta illud Rom. 3. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes;* atque Redemptio Christi est, & fuit omnibus pro quovis tempore post peccatum necessaria necessitate mediæ ad salutem, ut docet Apost. Rom. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ;* ergo.

Suppono 3. (*Ib. ad 3.*) antè Evangelium sufficientè promulgatum fidem implicitam Incarnationis communiter sufficientem fuisse: *Si qui tamen, inquit Auctor citatus in margine, salvi fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris; quia, etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina Providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos. Idque constat ex Ap. qui ad Galat. 3. dicit: Prius autem quam veniret fides, sub Lege custodiebamur conclusi in eandem fidem, quæ revelanda erat. Et ad Ephes. 3. loquens de Mysterio Incarnationis ait: Quod aliis generationibus non est agnitus filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus & Prophetis in spiritu. Et ad Coloss. 1. Quod absconditum fuit a sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis ejus. Adde, quod juxta eundem Apost. 1. Cor. 10. Omnia in figura contingebant illis. Et ita sentiunt Aug. 1. 19. contra Faustum Ep. 89. & alibi; Chrysostomus hom. 37. in Matth. Bernardus Ep. 77. ad Hugonem Victorinum, & alii Patres.*

Dixi: *Communiter sufficientem fuisse,* id est, minoribus & communi populo: quantum enim ad majorem videtur, quod tenerentur, saltem necessitate præcepti, habere fidem aliquo modo explicitam Incarnationis; quia, cum offerrent Sacrificia Christi præfigurativa, & legerent, atque interdum explicarent Prophetias de Christo venturo, videtur, quod utrorumque significatum aliquo modo cognoscere deberent, licet non ita distinctè & explicitè, sicut nunc post

Hic colliges, non sufficere ad salutem, quod quis credat in communi, & in confuso, quiddam credit, aut docet Ecclesia, si interim nihil determinatè, & in particulari de Deo cognoscat, aut credat; quia absque particulari, & explicita cognitione, quod Deus existat, quod sit remunerator bonorum, & malorum vindex, non potest ipsum debite colere, neque actiones suas in eum ut in finem dirigere.

Obj. 1. Quamvis Baptismus sit necessarius ad salutem, potest tamen homo salvari per illius votum, absque eo quod re suscipiatur: ergo similiter de fide, R. N. Conseq. Disparitas est 1. Quod Baptismus re susceptus non sit initium salutis, fundamentum, & radix justificationis, sed aliquid prius supponat, saltem fidem, in qua includitur votum baptismi. At fides, juxta Trid. cir. est initium salutis, fundamentum, & radix justificationis; & ideo nihil supernaturalè supponit, in quo ejus votum includatur. 2. Susceptio realis baptismi, cum sit quid externum, potest variis modis impedi; non sic actus internus fidei; et ideo Christus voluit sufficere Baptismum in voto, non fidem in voto; quod juxta observationem S. Bernardi Ep. 77. ad Hugonem, patet ex ejus verbis Marti ultimum: cum enim dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* Non subjungit: *Qui non crediderit, & non baptizatus fuerit, condemnabitur;* sed solum *Qui non crediderit, condemnabitur;* aperitè significans, fidem in re esse necessariam, non tamen Baptismum in re. Adde, quod si fides in voto sufficeret ad justificationem, a fortiori caritas in voto sufficeret, quippe quæ supponit fidem et spem: id autem nemo unquam dixit.

Inst. Cognitio Dei naturalis continet implicitè, quod sit provisor, & justificator hominum; atque fides implicita quandoque sufficit: ergo. R. N. Maj. Quæ enim sunt ordinis supernaturalis, & non nisi supernaturaliter cognosci possunt, non continentur in illis, quæ sunt ordinis naturalis, & naturaliter cognoscuntur.

Obj. 2. Apost. Rom. 2. dicit: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt;* atque ad salutem sufficit observare legem, juxta illud Christi Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* ergo. R. juxta Aug. lib. de Spir. & Lit. c. 2. Prosperum contra Colatorem c. 22. Fulgentium de Incarnat. c. 26. S. Th. 1. 2. q. 109. a. 4. ad 2. Hæc Apostoli verba intelligi de Gentibus conversis ad fidem operantibus ex gratia; & To naturaliter non sumi, proit opponitur gratiæ, & proit idem est ac virtus nature; sed proit opponitur legi Mosaycæ, ita ut sensus sit: Gentes, quæ legem scriptam non habent, quæ legis sunt, faciunt naturaliter, id est, sine adminiculo legis Mosaycæ, sed per naturam sola Christi gratia adiutam. Quod si cum quibusdam aliis intelligas de Gentibus, infidelibus, & To naturaliter virtus nature solius, sensus est, quod quedam legis opera faciant propriis virtutibus, sed non omnia.

Obj. 3. Tempore legis nature quidam fuerunt salvati; atque in lege nature nulla erant præcepta nisi naturalia; nulla Dei cognitio, nisi naturalis: ergo. R. N. Min. Dicitur enim Lex nature, quia excludat Legem scriptam, non præcepta supernaturalia Fidei, Spei, & Amoris; hæc enim inspirata primùm fuere Adamo, & ab eo ad posterum, non scripto quidem, sed ore transmissa.

Inst. S. Justinus c. 28. Apol. dicit, Socratem esse salvum, eumque vocat Martyrem; & Orat. ad Antoninum appellat Christianos eos antiquos Philosophos, qui vixerunt secundum rationem: ergo. R. Quod, si Socrates, & alii quidam antiqui Philosophi sint salvi, Deus eis antè mortem infuderit fidem, seu cognitionem supernaturalem. Sed communior sententia tenet, eos non esse salvos; tum quia quibusdam virtutibus moralibus miscerent gravia vitia: sic ipse Socrates, qui ab aliquibus dicitur iracundus, & ebriosus, instante morte jussit, immolari gallum gallinaceum Æsculapio, ut refert Dom. Rollin. Tom. *Hist. antiqum* p. 44. tum quia, ut plurimum, virtutem non nisi ex vana gloria colebant. Justinus autem vocat Socratem Martyrem lato sensu, attenta sola causa mortis: fuit enim damnatus, eo quod unum esse Deum doceret in scholis. Appellat antiquos Philosophos Christianos, non quod essent proprie Christiani, si fide carebant; sed improprè, quatenus in praxi virtutum moralium ipsos Christianos æquabant, aut etiam aliquando superabant.

Repones. Cornelius Act. 10. erat justus antequam fidem haberet, siquidem Petrus ad eum missus sit, ut ipsum de fide instrueret: ergo. R. N. Ant. (*Hic q. 7. a. 4. ad 3.*) Jam enim crederet Cornelius, antequam Petrus ad eum accederet, sed erat plenus in fide instruendus, & ideo ad eum Petrus missus est.



peractum Mysterium. Unde Auctor in 3. d. 25. q. 2. a. 2. q. 2. dicit, quod post peccatum, ante Christum, majorem habebat fidem Redemptoris explicitam, minores implicitam.

Superest itaque questio de statu Legis Evangelicæ, circa quam est quadruplex Sententia. Prima absolute negat in hoc statu necessariam esse ad salutem fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis. Secunda affirmat, esse absolute necessariam. Tertia, quæ est Cano & Bannes, distinguit inter primam & secundam salutem, id est, inter justificationem & gloriam: negat esse necessariam ad justificationem, concedit esse necessariam ad gloriam. Quarta dicit, esse per se necessariam ad utramque salutem, per accidens tamen ratione ignorantie invincibilis posse suppleri per fidem implicitam. Primam sententiam duabus primis Conclusionibus impugnabimus; tertiam Conclusionem tertia; quartam in sol. Obj. Unde.

Dico 1. Post Evangelium sufficienter promulgatum fides explicita Incarnationis est omnibus necessaria necessitate mediæ ad salutem. Est probabilior, & communior. Intelligitur tamen de necessitate, non ex natura rei, alioquin eadem fuisset omni tempore; sed de necessitate ex institutione & voluntate Dei pro hoc statu Legis gratiæ. Idem dicendum de sequenti Conclusionem. Prob. 1. ex Scripturis. Christus Joann. 3. dicit: „Sicut Moyses exaltavit serpentem in Deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam;“ atque aspectus Serpentis erat medium necessarium ad sanitatem corporalem: ergo & fides in Christum ad sanitatem spirituales. Ipsum autem loqui de fide explicita, patet ex his, quæ ibidem subdit: „Qui, inquit, credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei. Tò nomine designat personam: Tò Unigeniti Filii Dei,“ distinguit à cæteris personis: ergo loquitur de fide explicita, & quidem absolute necessaria; quia, qui non credit, jam judicatus est. Marci ultimo dicitur: „Predicite Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur.“ Est ergo absolute necessaria ad salutem credere Evangelium: Evangelium autem continet explicitè mysterium Incarnationis. Unde Bernardus Ep. cit. 77. ad Hug. scribens in hunc locum dicit, ut jam observavi: „Cautè igitur & vigilantè non repetit: Qui verò baptizatus non fuerit, sed tantum, qui verò non crediderit, condemnabitur; innuens, solam interdu sufficere fidem ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil.“ Quibus verbis declarat S. Doctor Baptismum posse aliquando suppleri, fidem verò Evangelii, quæ, ut dixi, est explicita, non posse per aliud suppleri. Joann. 14. Christus dicit: „Creditis in Deum, & in me creditis: ubi patrem exigit fidem de se ipso, ac de Deo; atque fides explicita Deo est necessaria necessitate mediæ: ergo & de Christo. Plura alia similia leguntur in Evangelio & in Ep. Pauli.

Prob. 2. & Patribus & Concil. Trid. Præter S. Bernardum de quo jam dictum est, S. Aug. 1. de corrupt. & grat. c. 7. „Ab hac damnatione, inquit, non se liberabunt, qui poterunt dicere se non audisse Evangelium.“ Ubi loquitur de fide explicita, quia loquitur de fide Evangelii, & necessitatem adstruit absolutam atque inexcusabilem, etiam ex ignorantia invincibilis, quod importat necessitatem mediæ S. Th. hic a. 7. o. ubi initio loquitur de eo, quod est necessarium necessitate mediæ, in fine sic concludit: „Post tempus gratiæ revelatæ, tam majores, quam minores teneantur habere fidem explicitam de mysteriis Christi. Et adhuc expressius, in 3. d. 25. q. 2. a. 2. q. 2. Post adventum Christi, inquit, omnes tam majores, quam minores teneantur ad credendum explicitè; & si aliquis instructionem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex culpa sua remaneret:“ ergo aperte sentit, fidem explicitam esse necessariam necessitate mediæ, & non tantum præcepti: alias, si instructione careat, excusaretur ab hoc præcepto, quod non admittit S. Doct., sed recurrit ad medium extraordinariarum revelationis, quod tunc esset debitum. Trid. Sess. 6. c. 6. agens de dispositione ad justificationem, & de iis, quæ ad illam sunt credenda, dicit: „Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dùm, excitati divina gratia, & adjuvi, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt: atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.“ Porro, si sit necessarium in primis hoc credere de Redemptione per Christum: ergo nihil magis necessarium: ergo hæc fides explicita de Christi redemptione est inter prima credibilia reponenda & præ cæteris necessaria, consequenter ne-

cessitate mediæ. Confirm. ex Symbolo S. Athanasii, ubi cum explicuit mysteria Trinitatis & Incarnationis, concludit: „Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fidelitèr, firmitèrque crediderit, salvus esse non poterit.“

Prob. 3. ratione. Perfectior fides Incarnationis requiritur in nova Lege, in qua istud mysterium est peractum & revelatum, quam in veteri Lege, in qua erat velatum, ut ostendimus in tertia suppositione; atque in veteri Lege fides implicita Incarnationis erat necessaria necessitate mediæ ut etiam probavimus in secunda suppositione: ergo in nova Lege est necessaria explicita.

Dico 2. (Ib. a. 8. o.) Post Evangelium sufficienter promulgatum, fides explicita Trinitatis est omnibus necessaria necessitate mediæ ad salutem. Prob. 1. ex cap. ultimo Marci ut in 1. probatione Conclusionis præced. (Ib.) 2. Fides explicita Incarnationis est necessaria necessitate mediæ, ut patet ex præced. Conclusionem; atque non potest haberi fides explicita Incarnationis, nempe quod Filius Dei sit incarnatus & conceptus de Spiritu S. absque fide explicita Trinitatis. 3. Incarnatio est tantum obiectum secundarium fidei nostræ, Trinitas est primarium; atque in nova Lege requiritur fides explicita obiecti secundarii: ergo a fortiori & primarii. 4. Ex Symbolo S. Athanasii ut in 1. Conclusionem. 5. Denique ratione jam facta pro præcedenti Conclusionem. Perfectior fides requiritur de hoc mysterio in nova Lege, in qua est expresse revelatum, quam in veteri, in qua erat velatum; atque in veteri requirebatur fides de eo implicita: ergo in nova requiritur fides explicita.

Dixi in utraque Conclusionem: post Evangelium sufficienter promulgatum; quia ab adventu Christi usque ad sufficientem Evangelii promulgationem, idem censendum est ac de tempore præcedente Incarnationem, scilicet, satis fuisse fidem implicitam de Christo; quia non debet reputari medium ad salutem necessarium, quod non est sufficienter promulgatum: id namque repugnat Dei bonitati & suavi ejus Providentiæ, ut arguit Bernardus Epist. cit. it tamen, quibus erat in particulari promulgatum Evangelium, tenebantur ex præcepto ad fidem explicitam. Quando autem sufficienter fuit pro omnibus promulgatum Evangelium, incertum est. Probabile est, id contigisse ego. circiter anno post Christi Ascensionem, quando Templum Jerosolymitanum & Respublica Judæorum per Romanos fuerunt subversa.

Dico 3. Fides explicita utriusque mysterii est necessaria necessitate mediæ, non solum ad secundam salutem, scilicet glorificationem, sed etiam ad primam, scilicet justificationem. Prob. 1. ex locis Scripturæ Joann. 3. & Marci ultimo, citatis pro prima Conclusionem, & præsertim ex Tridentino laudato, in quibus agitur non solum de glorificatione, sed etiam de justificatione. Item in eodem cap. 3. Joann. Christus non solum dicit, quod, qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed addit: quod ira Dei manet super eum, id est, remanet peccator & injustus. 2. Justus est Filius Dei adoptivus & heres gloriæ: ergo: si fides implicita sufficit ad justificationem, sufficit etiam ad gloriam; quod non admittunt Adversarii.

#### Solvuntur objectiones.

Obj. 1. juxta Apost. Hebr. 11. sufficit ad salutem duo credere explicitè, scilicet, quod Deus sit, & quod inquirentibus se sit remunerator: ergo. R. N. Ant. (Ib. a. 8. ad 1.) Non enim dicit Apostolus, quod sufficit; sed quod oporteat illa duo credere explicitè; Fuit ergo necessarium omni tempore illa duo credere explicitè; sed non est sufficiens omni tempore.

Obj. 2. Illud non est medium necessarium ad salutem, sine quo homo potest justificari; atque sine fide explicita Mysteriorum Incarnationis & Trinitatis, homo potest in lege Evangelicæ justificari: ergo. Min. patet in Cornelio, qui dicitur Religiosus ac timens Deum, imò & justus, licet tamen non haberet fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis; ut enim de illis instrueretur, Petrus ad eum missus est. Auctor. 10. & 11. ergo. R. N. Min. (Hic q. 10. a. 4. ad 3.) Ad probat. de Cornelio duplex est responsio. Prima, quod fuerit justificatus per fidem implicitam, quia nondum erat sufficienter promulgatum Evangelium: unde missus est Petrus, ut illum plenius de fide instrueret. Ità sentit Auctor citatus in nota 4. Neque obstat quod Angelus dicat Cornelio, quod Petrus loquitur ipsi verba, in quibus salvus erit, ut refertur Actor. c. 11. quia cum tunc instabat præceptum fidei, qui in locis vicinis jam predicabatur, nec ea Cornelius posset diu ignorare, mis-

missus est Petrus ad ipsum, tùm ut eam citius disceret & in gratia cresceret; tùm ne propter ignorantiam futuram forte culpabilis, a justitia excideret. Unde rectè dictum est illi, quod Petrus illum ea doceret, in quibus salvus esset. Altera responsio est, quod Cornelius non fuit justificatus, antequam Petrus audiret. Et ita videtur sentire Aug. de Prædest. SS. c. 7. Ubi dicit de Cornelio: Si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum edificandum mitteretur Architectus Petrus. Dicitur autem Religiosus, ac timens Deum propter quasdam ejus dispositiones ad justificationem, quomodo dicitur peccatores, dum poenitentes se disponunt ad justificationem, religiosè, ac timorè vivere. Nec obstat, quod etiam dicitur justus. Sic enim dicitur ab iis, quos miserat, qui non intelligebant, in quo consisteret vera justitia. Unde intelligebant justitiam generali, & vulgari modo, secundum quam homo benè morigeratus dicitur justus. Quidam conantur utramque responsonem conciliare, dicendo, quod Cornelius vixit, cum leges translatio fieret; & ideo fuit justificatus per fidem implicitam antè promulgationem Evangelii; sed, promulgato Evangelio, quod instabat, debuit ex præcepto habere fidem explicitam, ut salvus fieret.

Obj. 3. Qui habet fidem explicitam Dei ut auctoris gratiæ, & remuneratoris gloriæ, potest absque fide explicita Incarnationis & Trinitatis habere veram contritionem & perfectionem Dei dilectionem; atque hæc sufficit ad justificationem: ergo. R. D. Maj. Postest, attendi rei natura, C. attendi divina ordinatio. N. Statuit enim Deus nemini dare in nova lege gratiam efficacem veræ contritionis & perfectæ dilectionis, quin prius, aut simul infundat lumen fidei explicitæ, ut constat ex probat. Conclusionem.

Inferes: ergo arctior est via salutis in nova lege, quam in veteri; in qua homines poterant cum sola fide explicita Dei, ut auctoris gratiæ & remuneratoris gloriæ justificari. R. N. Illationem; quia in nova lege abundantior est gratia, quam in veteri; & Deus æquè facile potens sive per se, sive per Angelos, sive per homines infundere fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis, sicut fidem explicitam Dei ut Auctoris gratiæ, & remuneratoris gloriæ; quam omnes requirunt ad salutem.

Obj. 4. Plures casus, in quibus videtur sufficere ad salutem fides implicita, seu in voto, Incarnationis & Trinitatis: alioquin dicendum foret, legem Evangelicam esse duriorè, & viam salutis pluribus esse occultam. 1. Puer enutritus in sylvæ, aut inter barbaras nationes, si sequatur ductum rationis in fuga mali & prosecutione boni, justificabitur, secundum D. Th.; atque tamen nihil audivit de Evangelio. 2. Puer perveniens ad primum instans rationis, si convertatur ad Deum, justificabitur, secundum eundem S. Th.; atque tamen non potest in instanti instrui de præfatis mysteriis. 3. Sunt adeo rudes & stupidi, ut non possint conceptu apprehendere hæc mysteria: idem dic de mutis & surdis a natiuitate; atque non potest dici, quod salus sit illis impossibilis: ergo.

Propter hæc argumenta, quidam, ut observavimus, censent, quod, licet fides explicita istorum mysteriorum sit per se absolute necessaria, per accidens tamen ratione ignorantie invincibilis, possit suppleri per fidem implicitam. Sed hæc responsio displicet, 1. quia auctoritates, & rationes conclusionum nostrarum probant necessitatem fidei explicitæ absolute, & in omni casu; relegantur. 2. Quia etiam posset dici, quod fides implicita Dei, ut auctoris gratiæ, & remuneratoris gloriæ sufficeret. 3. Quia est contra Aug. citatum in probat. 1. conclusionis, & contra D. Th., qui in casibus recurrit ad extraordinariam revelationem; quæ non est necessaria, si fides implicita sufficeret. Unde.

R. 1. retorquendo argumentum. Fides explicita Dei ut auctoris gratiæ & remuneratoris gloriæ, malorum vindicis & immortalitatis animæ, est secundum omnes necessaria necessitate mediæ ad salutem; atque tamen contingere potest, quod ista fides explicita desit in casibus objectionis, sicut fides explicita Incarnationis & Trinitatis: neque ideo lex Evangelicæ debet dici durior, & via salutis pluribus occulta: ergo. R. 2. ad singula. Ad 1. Certissime tenendum est, inquit Doctor noster (Q. 14. de verit. a. 11. ad 1. quod est (de quo in casu) per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrus ad Cornelium, & Philippum ad Eunuchum Regine Candacis. Ad 2. Instans rationis non est physicum, sed morale habens aliquam durationem, in qua sive a Deo, sive ab Angelo, sive ab homine potest per se instrui. Et quamvis hujusmodi instructiones in utroque casu sint extraordinariæ, non tamen Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

mèn debent dici miraculose, quia connaturalitèr sequuntur ad voluntatem Dei salvandi hominem, & ad obligationem credendi explicitè. Ad 3. Non requiritur ad fidem intelligentiam, sed assensus. Unde Aug. 1. contr. Ep. fundamenti c. 4. Turbam, inquit, non intelligendi divinitas, sed credendi simplicitas tenuissimam facit. Nullus autem est adeo hebes & stupidus, qui auxilio gratiæ adjutus non possit Mysteria Incarnationis & Trinitatis, saltem in confuso & quoad substantiam apprehendere: quod si neget, si sunt annuerandi infantibus & amentibus, qui sine fide actuali per solam fidem habitualement in Baptismo susceptam salvantur.

Inst. 1. Juxta conclusiones nostras fides explicita horum mysteriorum non est necessaria, nisi post promulgatum sufficienter Evangelium; atque non est sufficienter promulgatum iis, de quibus currit præsentis obiectio: ergo. R. N. Min. Ut enim lex aliqua censetur sufficienter promulgata, non requiritur, quod cuilibet particulari & in quolibet loco promulgetur; sed sufficit, quod sit promulgata in principalibus locis Nationis, seu Provinciæ, unde notitia legis potest ad alios pervenire. Sic autem fuit promulgatum Evangelium juxta illud Rom. 10. In omnem terram extitit sonus eorum.

Inst. 2. Evangelium non promulgabitur sufficienter, nisi in fine mundi, juxta illud Math. 24. Predicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio: ergo. R. N. Ant. Ex verbis enim apud Mattheum sequitur tantum, quod non adveniet consummatio sæculi, antequam sufficienter sit promulgatum Evangelium in toto mundo; non verò, quod non promulgabitur, nisi instante consummatione. 2. Dato, futuram tunc universaliorem promulgationem, non sequitur antea non fuisse sufficientem.

Obj. 5. Specialitèr contra 3. conclusionem Aug. 1. ad Simplic. q. 2. dicit: „In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cælorum, sicut in Catechumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ: in quibusdam vero tanta, ut jam corpori Christi & sancto Dei Templo deputentur:“ ergo potest dari fides sufficiens ad justificationem, que non sufficit ad Regnum Cælorum obtinendum. R. N. Consequ. Quippe quæ nullatenus sequitur ex verbis August. Dicit enim S. Doctor in prioribus verbis, posse esse talem fidem inchoatam & imperfectam, qualis reperitur in Catechumenis, & peccatoribus se disponentibus ex auxilio gratiæ ad gratiam justificationis, quæ non sufficit ad Regnum Cælorum; sed non dicit, quod sufficit ad justificationem. Quin imò contrarium asserit in verbis posterioribus, in quibus agnoscit eandem fidem, quæ sufficit, ut quis deputetur sancto Dei Templo, id est, Regno Cælorum, & ut Corpori Christi per justificationem incorporaretur.

Ex dictis colliges, eos, qui præfata Mysteria Incarnationis, & Trinitatis quoad substantiam ignorant, etiam invincibiliter, esse absolutiōis incapaces, & omnes Confessiones in hac ignorantia factas esse nullas & iterandas; neque sufficere ea aliquando credidisse, si de facto nunc ignorentur. Hinc faciunt sequentes propositiones ab Innocentio XI. damnatæ. „Absolutiōis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei; & etiam per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. Est 64. Sufficit, illa Mysteria semel credidisse.“ Est 65.

#### ARTICULUS III.

Ceteræ difficultates circa Actum Fidei internum dependantur.

##### §. I. Que sint credenda necessitate præcepti?

Dico. Omnes Fideles in hoc statu Legis Evangelicæ teneantur ex præcepto obligante sub peccato mortali credere explicitè, saltem quoad substantiam, & præcipuas circumstantias, 1. omnes Articulus, contentos in Symbolo Apostolorum. 2. omnia præcepta Decalogi & Ecclesiæ. 3. Orationem Dominicam. 4. Sacramenta necessariò suscipienda, quæ sunt tria, Baptismus, & Eucharistia, & Poenitentia.

Ratio 1. partis est, 1. Quia Apostoli ex præcepto Christi tenebantur illos articulos docere explicitè, juxta illud Marci ult. Predicite Evangelium omni creaturæ; & ideo hoc Symbolum composuerunt, antequam inciperent prædicare: ergo inest Fidelibus obligatio illos credendi; in-



tile namquē foret præceptum instruendi, si non sit obligatio credendi. 2. Quia nemo censetur verus Christianus, nisi credat præcipua Fidei Christianæ capita, qualia sunt, quæ continentur in Symbolo Apostolorum. 3. Ex praxi Ecclesie, quæ olim nullum admittebat ad Baptismum, qui antea non recitaret hoc Symbolum. 4. Ita præcipitur cap. *Baptizandos* de Consecr. d. 4. Unde Cathec. Rom. p. 1. c. 1. n. 2. *Quæ primium*, inquit, *Christiani homines tenere debent, illa sunt, quæ... sancti Apostoli divino Spiritu afflati, duodecim Symboli articulis distinxerunt.*

Ratio 2. partis est; quia quilibet fidelis tenetur præcepta Decalogi & Ecclesie servare: ergo & illa scire, seu credere. Ratio 3. partis petitur 1. Ex necessitate cognoscendi ea, quæ a Deo petere debemus: hæc autem continentur in Oratione Dominica. 2. Ex communi sensu Theologorum & Fidelium, qui vix pro Christiano habent, qui hanc Orationem nesciret. Unde Aug. ser. 246. alias 217. *Nescio*, inquit, *qua fronte se Christianum dicat, qui paucos versus in Symbolo, vel Oratione Dominica parare dissimulat.* 3. Ex Innocentio III. cap. *Deus*, qui de pœnit. & Remiss. Ratio 4. partis est; quia hæc Sacramenta ritè suscipere non potest, qui ea & dispositiones ad illas requisitas ignorat.

Dixi: *Salem quoad substantiam, & præcipuas circumstantias*; quia, ut ait Auctor (*Hic art. 7. o.*), subtiles considerationes circa hæc Mystera tenentur aliqui magis, vel minus explicitè credere, secundum quod vivat, & officio uniuscujusque competit: magis Pastores, Doctores, Prædicatores, Confessarii, qui aliis instruendis sunt deputati, quam Fideles de Populo. Neque etiam erit peccatum mortale, si quis ex negligentia non sciat, quæ continentur in Conclusionem, memoriter & eo ordine, quo recitantur communitè, modò, facta inquisitione, aut data occasione illis, utendi, statim intelligat, credat, & rectè respondeat. Erit tamen peccatum veniale propter quosdam textus Juris, qui ista memoriter teneri præcipiunt, quos tamen obligatione sub peccato veniali communis intelligunt Theologi, Navarrus, Layman, Lopez & plures alii. Ab omni autem peccato excusatur, qui propter hebetudinem mentis, aut memoriam labilitatem ea memoriter retinere non potest. Quomodo Confessarius debeat se gerere erga pœnitentes ignorantem ea, quæ scire tenentur, require in Tract. de Pœnitentia.

#### §. II. Quandonam obliget præceptum Fidei.

Suppono 1. Præceptum Fidei obligare per se, & non solum per accidens ratione alterius. Dantur enim præcepta per se de actibus aliarum virtutum, quidni de actibus Fidei? Neque Christus dixit: *qui non crediderit*, quando erit pœnitendum, aut aliquid aliud præceptum observandum; sed simpliciter & absolute: *qui non crediderit, condemnabitur.* Unde Innoc. XI. condemnavit hanc propositionem: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.* Suppono 2. Duplex esse præceptum Fidei, unum affirmativum assentiendi veritatibus revelatis; aliud negativum non negandi fidem susceptam, seu agnitam. Hoc secundum obligat pro semper; non primum, sed determinato tempore, sicut alia præcepta affirmativa. Quo autem tempore?

Dico 1. Præceptum fidei affirmativum obligat per se adultum rationis compotem statim moraliter, ac credenda & credendi motiva ipsi sufficienter proponuntur; quia fides est medium necessarium ad salutem, ut diximus. Tenetur autem adultus statim moraliter adhibere medium suæ salutis necessarium, præsertim cum, si non credat, periculum sit, nè agnitæ veritati positivè dissentiat, sicut peccat contra præceptum negativum. Adde, quod, cum hoc præceptum per se aliquando obliget, non possit assignari tempus convenientius, quam primum instans vite moralis, aut sufficientis illuminationis. Hinc colliges, puerum fidelem inter fideles enutritum pervenientem ad usum rationis, & apprehendentem Mystera fidei tanquam a Deo revelata, tenere elicere actum fidei: similiter infidelem, qui propositis fidei nostræ Mysteriis & motivis credibilitatis, certò, aut probabilibus cognoscit fidem nostram esse veram, & alias sectas esse falsas. Unde Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Ad infidelitatem excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabilis.* Secus, si probabilis reputet suam sectam esse veram, debet enim prudenter credere. Quod si dubitet, & existimet nostram esse tutiorem, debet eam amplecti: si neutra appareat tutior, in dubio tenetur sub peccato mortali diligenter inquirere de veritate, alias ignorantis veræ fidei

fiet ipsi voluntaria & culpabilis. Nec dubito, plures esse huius conditionis hereticos, præsertim qui versantur inter Catholicos. Ista pendet ex dictis de Probabilitate in 1. 2.

Dixi: *Statim moraliter*; quia apud pueros non est nimis scrupulosè cum ipsis agendum; sæpe enim accidit, quod etiam adepto usu rationis, mysteria fidei non sufficienter ipsis proponantur, aut quod non apprehendant obligationem gravem credendi; unde raro peccant contra hoc præceptum, non eliciendo statim actum fidei. Quantum verò ad Infideles adultos, quibus plene & sufficienter fides est proposita, quamque saltim probabiliorum iudicant, citius contra hoc præceptum affirmativum peccabunt, si brevi non assentiantur, eo magis quod, ut jam dixi, insitet periculum dissentienti positivè veritatibus revelatis, & sufficienter cognitis, sicut peccandi non solum peccato omissionis contra præceptum affirmativum, sed etiam peccato commissionis, scilicet hæresis, contra præceptum negativum non negandi veram fidem agnitam. Quam autem mora requiritur, ut sit moraliter culpabilis, iudicio prudentis relinquatur.

Utrum verò, præter hunc casum, præceptum affirmativum fidei obliget per se? Multi affirmant, fundati præsertim in condemnatione propositionum sequentium ab Innoc. XI. Prima: *Satis est, actum fidei semel in vita elicere.* Est 17. Altera: *Sufficit, illa mysteria* (scilicet Trinitatis & Incarnationis) *semel credidisset.* Est 65. Adserunt etiam rationes, 1. Quòd, juxta Scripturam, justus ex fide vivat. 2. Quòd præcepta aliarum virtutum spei, charitatis, &c. plures obligent, quidni & fidei? Hinc dicunt, hoc præceptum fidei per se obligare in periculo mortis, in quo obligant præcepta spei & charitatis, & homo attingit suum terminum. Item, quando urget gravis tentatio contra fidem, quæ superari non potest absque actu fidei (videtur tamen in hoc casu obligatio per accidens, ut mox dicam.) Item plures in vita: sed quoties? Mirè variant. Quidam dicunt, singulis diebus Dominicis & Festis; alii singulis mensibus; alii, semel in anno; alii, in majoribus Solemnitatibus; alii, aliter.

Opposita Sententia, etiam plurium, tenet, quòd, posito semel assensu fidei, ejus præceptum affirmativum non amplius obliget per se; quia neque ex Scriptura, neque ex aliqua lege Ecclesiastica potest assignari tempus determinatum, in quo per se obliget: & aliunde, cum sæpe obliget per accidens, non videtur necessitas adstruendi obligationem per se. Ad propositiones damnatas respondent, justè damnari; quia sunt universales, nec distinguunt inter obligationem per se & per accidens, cum tamen certum sit sæpius occurrere obligationem per accidens. Verùm hæc responsio non videtur satis firma: istæ enim propositiones in sensu suorum Auctorum sunt intelligendæ de obligatione per se, cum nullus unquam negaverit obligationem per accidens plures elicendi actum fidei; sicut in eodem sensu sunt damnatæ. Unde prima Sententia tutior est, & tenenda in praxi, sic ut quidam fideles, saltim in solemnioribus Festis, aut circa illorum tempora, vi hujus præcepti obligantur per se elicita actum fidei circa omnia revelata.

Dico 2. Præceptum affirmativum fidei obligat per accidens, quoties urget aliquid aliud præceptum quod sine fide impleri non potest, quia, qui tenetur ad finem, tenetur ad media. Non tamen tenetur in hoc casu exprimere in confessione omissionem actus fidei, si illi defuerit; quia, cum hoc præceptum non obliget per se & ratione alterius, sufficit istius alterius omissionem exprimere, ut jam alibi observavimus.

Hinc inferes, hoc præceptum fidei affirmativum obligare per accidens, quando quis tenetur pœnitere, suscipere aliquid Sacramentum, elicere actum spei, charitatis, Religionis, ut orare, Missam audire, seu celebrare; &c. In his tamen non videtur necesse, quòd interveniat actus expressus, & in actu signato, quo quis dicat: Credo, Deum esse, quem nunc oro; credo, Sacramentum esse, quod nunc suscipio; sed sufficit, quòd implicite & in actu exercitio credat, quatenus ex notitia fidei sciens, Deum esse, & Redemptorem esse, hoc esse Sacramentum, &c. intendit Deum orare, diligere, Sacrum celebrare, Sacramentum suscipere, &c. Item obligat per accidens hoc præceptum, quando urget gravis tentatio contra fidem, aut alteram virtutem, quæ non nisi expresso fidei actu superari potest. Quamvis enim, si tentatio sit contra fidem, obligatio sit directè ex virtute fidei, non tamen directè est præceptum affirmativum, sed ex periculo deserendi fidem, ideòque directè ex præcepto fidei negativo.

#### §. III.

#### §. III. Utrum ad assensum fidei requiratur motio voluntatis.

Dico: (*Hic q. 2. a. 1. ad 3.*) Ad assensum fidei requiritur pia motio voluntatis. Prob. 1. Quia ad Rom. 10. dicit Apost. *Corde creditur ad justitiam*; id est, voluntate movente intellectum ad credendum, ut explicat S. Doct. ibid. lect. 2. Et colligitur ex usu Scripturæ, juxta quam cor pro voluntate sumi solet. Unde Aug. Tract. 26. in Jo. ait: *Inurare quisquis Ecclesiam potest volens, accedere ad altare potest volens; sed credere non potest, nisi volens.* 2. Intellectus (*Ibid. q. 1. a. 4.*) non determinatur nisi ab objecto evidenti, vel a voluntate; atqui ad assensum fidei non determinatur ab objecto, quòd est necessarium obscurum & invidens: ergo. 3. Actus fidei est liber tam quoad exercitium, quam quoad specificationem, scilicet in ratione assensus, potiusquam dissensus: ergo indiget motione voluntatis, quæ determinat intellectum ad assensum, potiusquam ad dissensum. Ant. constat tum ex Trid. Sess. 6. cap. 6. mox citando; tum quia inter eos, qui audiebant Christum & Apostolos prædicantes, & miracula facientes, quidam credebant, quidam non credebant. Act. 28. tum denique, quia actus fidei est meritorius, ut dicam infra.

Dices 1. Ad actum fidei humanæ non requiritur motio voluntatis: ergo nec ad actum fidei divinæ. Resp. posse negari Ant. Sed eo dato, N. Cons. Disparitas est, quòd actus fidei divinæ sit supernaturalis & longè firmior, & difficilior actu fidei humanæ, & ideò ad hunc sufficere potest quædam evidentia moralis orta ex testimonio, discursu, & effectibus, quæ non sufficit ad actum fidei divinæ; quo enim res est firmis credenda, & difficilior & magis supra cursum ordinariam, eò plura & efficaciora requiruntur ad determinandum intellectum ad credendum. Unde in difficultioribus, & singulariter extraordinariis non raro dicimus: *Non possum credere. Nisi videro, non credam:* aut non nisi cum formidine oppositi credimus.

Dices 2. Demones credunt Jacobi 2.; atqui non credunt ex pia motione voluntatis: ergo. R. D. Ant. Demones credunt fide naturali, C. Fide christiana & divina, N. credunt ergo demones non propter Dei auctoritatem, quòd essentialiter requiritur ad fidem christianam, sed coacti evidentia signorum, quæ propter majorem intellectus perspicaciam longè melius, quam nos apprehendunt. Sic nos ipsi, si convicti motivis credibilitatis assensum præberemus rebus fidei præcisè propter illa, & non propter primam veritatem, fides nostra non foret supernaturalis & christiana.

Dices 3. Voluntatis non est movere intellectum quoad specificationem, sed quoad exercitium tantum: ergo. R. D. Ant. Quando obiectum evidentia sua determinat intellectum, C. Secus, N. Est enim inter voluntatem & intellectum quædam sympathia & connexio, qua sibi invicem suas virtutes communicant. Unde sicut voluntas communicat intellectui, ut per imperium moveat ad exercitium alias potentias, sic intellectus communicat voluntati, ut moveat quoad specificationem, quando deest evidentia in objecto intellectus.

Dixi: *pia motio*, quæ nempe sit ab auxilio gratiæ, alioquin non foret supernaturalis; & initium salutis esset a nobis, quòd est damnatum in Semi-Pelagianis. Unde Concl. Arausic. 2. Can. 5. demit contra ipsos *credulitatis effectus esse gratiæ dampn;* & Trid. sess. 5. c. 6. quòd peccatores divina gratia coacti & adjuvati liberè moventur in Deum credentes, &c. Non est tamen amor charitatis, ut contendunt quidam Nosterici, alioquin peccator non posset elicere actum fidei, quòd est damnatum ab Alex. VIII. in hac proposito. *Quando in magnis peccatoribus deficit amor, deficit etiam fides; & etiamsi videantur credere, non est fides divina; sed humana.* Item in Quesnello proposito. 51. *Fides non operatur nisi per charitatem.* Et prop. 52. *Fides non est absque amore & fiducia.* Quid enim prohibet, quominus credam inimico, quem aliunde veracem reputo? Est ergo hæc pia motio complacentia quædam, seu affectus, non erga bonitatem divinam in se, quòd requiritur ad amorem charitatis, sed erga summam Dei veritatem, vi cujus determinat intellectum ad assentiendum ex firmitate, quæ superet omnem infirmitatem ortam ex quovis actu humano scientifico, vel experimentalis.

Petes 1. Utrum actus fidei possit esse meritorius? R. affirmativè; (*Ibid. a. 9. o.*) quia est supernaturalis & potest habere omnes alias condiciones requisitas ad meritum. Unde Apost. Hebr. 11. dicit, quòd *Sancti per fidei Theol. Billuart. Secunda Secunda.*

*dem adepti sunt remissiones.*

Petes 2. Utrum ratio inductiva ad credendum, seu motiva credibilitatis minuatur meritum fidei. (*Ibid. a. 10. o.*) Si motiva credibilitatis se habeant antecedenter ad assensum fidei, id est, si illum causent per modum rationis formalis sicut divina veritas, ita ut propter illa assentiat, sicut propter divinam auctoritatem, minuat meritum fidei; quia in hoc consistit meritum fidei, quòd intellectus motus a voluntate se subjiciat Deo revelanti, seu credat propter solam auctoritatem, seu veracitatem Dei, quæ est illius ratio formalis, seu obiectum formale quo. Quapropter, si motiva credibilitatis concurrant in eodem genere cause ad actum fidei, minuant ejus meritum. Si verò motiva credibilitatis se habeant consequenter ad assensum fidei, id est, si illum non causent per modum rationis formalis, sed inducant tantum intellectum, ut credat propter solam divinam auctoritatem, non minuant meritum fidei, quia ejus obiectum formale retinet totum suum influxum, & est causa adequata assensus fidei. Sicut, dum Magister proponit discipulo principia, discipulus assentitur principiis propter eorum veritatem & non propter propositionem Magistri, quamvis necessaria fuerit propositio Magistri, ut discipulus intelligeret & apprehenderet principiorum veritatem. Igitur antecedenter & consequenter in textu Auctoris non intelligitur de auctoritate & posterioritate temporis, sed de causalitate & non causalitate: sicutque habes, quòd semper debeant precedere tempore motiva credibilitatis, ut quis pœnitentia credat; sed quòd non debeant ingredi rationem formalem assentiendi: alioquin minuitur meritum fidei.

#### ARTICULUS IV.

##### De actu Fidei externo.

Suppono, (*Hic q. 3. a. 1. o.*) actum fidei externum, qui dicitur *Confessio*, ut annotavi supra, esse actum ab ipsa elicatum, & non solum imperatum; qui actus dicitur ab aliqua virtute elicitus, qui, licet non sit in eadem potentia ac illa virtus, ab ea tamen regulatur & dirigitur immediate, hoc est, nullo alio habitu mediante, ut patet in omnibus actibus exterioribus virtutum; atqui Confessio exterior fidei a fide regulatur & dirigitur immediate, nullo alio habitu mediante: ergo. Nec obstat, quòd Confessio exterior fidei possit fieri ab eo, qui nondam habet habitum fidei, quia supposito nostra intelligitur de eo, in quo est habitus fidei. Ista tamen Confessio illius, qui nondam habet habitum fidei, dicitur nihilominus actus fidei, quia ad illam disponit, & versatur circa ejus obiectum: sicut elemosyna facta ab eo, qui non habet habitum misericordie, dicitur nihilominus actus misericordie.

Difficultas est de præcepto actus fidei externi, quòd est duplex, sicut diximus de actu interno: unum negativum non negandi fidem; alterum affirmativum conludenti eam.

##### §. I. De præcepto actus fidei externi negativo.

Dico. In nullo unquam casu, etiam vitanda mortis, licet fidem corde retenta ore, vel facto negare, falsamve exterius profiteri, seu simulare. Est contra Hellesaitas, qui, teste Euseb. l. 6. Hist. c. 31. docebant, fidem in persecutionibus posse ore negari, modò corde servare. Item contra Priscilianistas, teste eodem August. ibid. cap. 70. apud quos erat vulgatum axioma: *Jura, perire, secretum prodere noli.* Item contra nonnullos hujus temporis politicos; qui in ea sunt opinione, licitum esse cujusvis Religionis ritus exercere, modò vera fides firma maneat in corde.

Constat 1. ex verbis Christi Matth. 10. & Luce 12. ubi dicit: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* Et Apost. 2. Tim. 2. *Si negaverimus, & ille negabit nos.* Est ergo præceptum divinum negativum non negandi fidem. Ea est autem natura præcepti negativi, quòd semper & pro semper obliget. 2. Negare fidem, est dicere Deum, revelasse falsum, vel fidei dogmata non revelasse; atqui utrumque est mendacium Deo injuriosum: ergo nunquam licitum.

Dixi 1. *Ore, vel facto*: quia utrumque est mendacium cum hac sola differentia, quòd mendacium facto dicitur simulatio. Dixi 2. (*Hic q. 111. a. 1. o.*) *Vel falsam simulare, seu exterius profiteri*; quia falsam fidem, seu Religionem simulare & exterius profiteri, perinde est, ac veram negare, qui enim se verbo dicit, aut facto exhibet Calvinistam, se



negat Catholicum. Id apprimè intelligebat Elcazarus 2. Mach. 6. qui recusavit carnes porcinas manducare; & ita semper intellexit Ecclesia, eo quod Libellaticos tamquam reos negate fidei habuit, eo quod pecunia obtinerent libellum restantem ipsos sacrificasse Idolis (quod tamen non fecerant), ut sic se a tormentis redimerent.

Si petas, quandonam in praxi quis censeatur factò simulare, aut profiteri exterius falsam Religionem? R. & sit Regula generalis: Usurpare signa, ritus, ceremonias, vestes, actiones, quæ sunt primario distinctiva sectæ a secta, seu quæ sive ex se, sive ex institutione, sive ex circumstantiis sunt primario significativa professionis falsæ fidei, est illam falsam fidem exterius profiteri, & ideo nunquam licitum. Quæ verò distinguunt primario, non sectam a secta, sed gentem a gente, seu per accidens tantum indirectè & secundario sunt significativa professionis falsæ fidei, quamvis sint vitanda, ne demus aliquibus occasionem credendi, nos negasse fidem; subsistente tamen justa necessitate causa huic deceptioni preponderante possunt licite usurpari; quia hoc non est absolutè falsam fidem profiteri. Ex hac regula, ritè intellecta & applicata, multos casus resolvit. Quosdam referam. Hinc igitur inferes 1. flectere genita coram Idolo, ei thus adolere, etiamsi intentio dirigatur ad oculum crucifixum, gestare imaginem Mihumeti in collo appensam, surere Connam Calvinistarum, psalmos in eorum templis cantare, pulsare organa, contrahere matrimonium coram Ministro benedicente nuptias secundum ritum suæ sectæ, nunquam esse licitum; quia hæc sunt primario distinctiva sectæ a secta, & primò per se falsæ religionis significativa.

Dices 1. Naaman Syrus, permittente Eliseo, simulavit adorare cum Rege Idolum in Templo Remmon 4. Reg. 5. Jehu ibid. 10. finxit, se velle adorare Baal, ut ejus Sacerdotes interficeret, & ibidem laudatur. S. Ambrosius Serm. 69. laudat S. Eusebium Vercellensem, qui simulavit se esse Ariarium, ut filium ab hac heresi avocaret, ergo. Ad 1. communis responsio est, quòd, quamvis Naaman usus sit verbo *Adorare*, alloquendo Eliseum, nihil tamen aliud petierit, quam ut filius præstare Regi obsequium civile, in aliis casibus etiam præstari solitum, scilicet Regem sustentare honoris causa, dum adoraret in Templo Remmon; quod non est magis illicitum, quam dum famuli Catholici comitantur Dominas, aut Dominos hæreticos ad Templum, deferentes eorum libros, sedes, extremitatem togæ, &c. hæc enim non sunt protestativa falsæ Religionis, sed obsequia civilia. Nec tamen inde sequitur, esse pariter licitum sustentare hærum furantem; hæc enim sustentatio nullatenus ordinatur ad honorandum hærum; non enim fur assumit socium, ut honoretur, sed ad solum finem malum, nempe, furtum, & ideo est mala. At sustentatio, de qua agitur, ex usu & institutione ordinatur ad honorandum Regem, & ideo non mala. Altera responsio, quæ videtur textui conformior, est, quòd Naaman non petierit ab Eliseo, an sibi liceret adorare, seu sustentare Regem adorantem, sed ut, casu quo id ad hinc faceret, quòd illicitum sciebat, Eliseus oraret, ut Deus ipsi ignosceret. Cui respondit Eliseus: *Vade in pace*: quasi dixisset: orabo pro te. Hunc sensum apertè indicat textus, qui sic est: *Hoc solum est*, inquit Naaman ad Eliseum, *de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredieris Domibus meis Templum Remmon, ut adoret, & illo invitente super manum meam, si adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace.* Ad 2. (Hic q. 111. art. 1. ad 2.) non est necesse, simulationem Jehu excusari a peccato, vel mendacio, quia malus fuit, utpote ab Idololatria Jeroboam non recedens: commendatur tamen & temporaliter remuneratur a Deo, non pro simulatione, sed pro zelo, quò destruxit cultum Baal. Similiter ad 3. S. Ambrosius laudat in S. Eusebium zelum veræ fidei, sed non simulationem.

Inferes 2. e contra licitum esse ex justa causa gestare vestem longam Turcicam, aut etiam quam *Turbantem* vocant, ad occultandam fidem. Quamvis enim nunquam licitum sit, fidem negare, licet tamen eam quandoquæ celare & dissimulare; nec illa vestis est primario ad distinctionem Religionis, sed Gentis; nec eam assumit Catholicus, ut credatur profiteri Religionem Turcicam, sed ut auferatur occasio attendendi & inquirendi de Religione. Idem dic de vestibus aliarum nationum idololatrarum, quæ non sunt destinatae præcisè usibus suæ Religionis. Idem de eorum vexillis in bello, ut sic decipiuntur & vincantur. Propter datas rationes probabiliter arbitramur, quòd deferre in Italia pileum flavum, sicut referunt Judæi, non sit

simulare eorum Religionem, adeoque nec illicitum ex causa. Item licitum est, interesse sepulture Hæreticorum exhibendo eis honorem civilem. Item arbitramur, licitum esse in terris Hæreticorum ad evitandum grave malum, non audire Sacrum diebus Dominicis & Festis; & etiam, saltè probabiliter, edere carnes diebus prohibitis: quia, id posse Catholicos variis de causis, non ignorant Hæretici, adeoque nulla inde exterior & apparens fidei negatio: quòd si aliqui aliter suspicentur, per accidens est, & potest esse justa causa permittendi, seu negligendi eorum suspensionem. Excipe, nisi in contemptum Religionis ad id adigerentur, aut in professionem falsæ sectæ incitarentur. Item non est illicitum contrahere Matrimonium coram Magistratu hæretico, aut etiam Ministro, tanquam coram testibus tantum. Audire conciones Hæreticorum eo fine, ut eorum errores refutentur, seclusa prohibitione, aut scandalo, non est illicitum; ex levitate & curiositate, stantibus iisdem conditionibus, & simul secluso periculo observationis, est peccatum veniale tantum. Sicut enim Hæreticus audiens conciones Catholicorum non ideo censetur Catholicus; ita nec Catholicus audiens concione Hæreticorum censendus est Hæreticus. Item non est reus negare fidei, qui negat se esse Sacerdotem, aut Religiosum; potest enim esse Catholicus, & non Sacerdos, aut Religiosus. Secus, si negaret se Catholicum, aut Papatam, ubi nomine Papatæ intelligitur Catholicus. Quantum ad Idololatria; propter scandalum non licet ea manducare: secluso scandalo, licet: ita colligitur ex Apost. 1. Cor. c. 8. & 10.

Inferes 3. contra Tertullianum, non esse per se illicitum fugere in persecutione; quia, non est ibi negatio fidei, quin potius quædam ejus Professio; per hoc enim testatur fugiens se esse fidelem, et ne fidem in tormentis perdat, se patriam, bona, parentes et amicos derelinquere. Id nectum verbo docuit Christus, dicens Matth. 10. *Cum persequerentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, sed et factò confirmavit, fugiens Judæos volentes eum lapidare: cujus exemplum imitatus sunt S. Paulus in sporta dimissus 2. Cor. 11. S. Petrus eductus & carcere ab Angelo, S. Athanasius, et plures alii Sancti. Idem dic de solutione mulctæ impositæ Catholicis a Rege hæretico. Dixi, *per se*; quia per accidens posset esse illicitum fugere, ut si Pastor esset necessarius ovibus, fugere non posset, etiamsi mors immineret; nam *Bonus Pastor animam ponit pro ovibus suis*. Etiam e converso posset esse per accidens obligatio fugiendi, puta, si vita fugientis esset necessaria bono communi.

#### §. II. De præcepto actus fidei externi affirmativi.

Dico: (Hic q. 3. a. 2. o.) ex præcepto Christi tenetur fidelis aliquando fidem suam exterius confiteri. Prob. Christus Matth. 10. dicit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego cum coram Patre meo.* Luc. 9. *Qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet.* Et Apost. Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem:* ergo est aliquando necessaria confessio ad salutem.

Auctor hic (*Ibid.*) duos casus assignat, in quibus hoc præceptum affirmativum fidei confitendæ obligat, scilicet: *Quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilis proximis impendenda: puta, si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide.* S. Doctorem sequuntur omnes Theologi, et merito; supposito enim præcepto fidei confitendæ aliquando obligante, non possunt assignari casus, in quibus urgeat magis ejus observatio, quam hi duo, quos assignat S. Thomas.

Rectè observat Sylvius verbum *Subtractionis* apud D. Thomam non accipi merè negativè pro eo, quòd est non exhibere honorem Deo, vel non impedire utilitatem proximo: alioquin confessio fidei semper esset in præcepto, si quidem, dum exerceatur, Deus honoratur; et dum omittitur, aliquis honor subtrahitur Deo: sed accipi, contrariè, aut privativè, ita scilicet quòd censetur subtrahi honor Deo debitus ex defectu confessionis, quando inde vel Deus magna afficitur injuria, vel magnus aliquis honor, qui ad eum pervenire poterat ex confessione, negligitur. Similiter utilis proximo impendenda subtrahitur, quando per omissionem confessionis aliquis a fide avertitur vel retardatur, aut aliquo magno commodò spiritali privatur, de quo non potest opportunè aliter pro loco

loco & tempore provideri.

Hinc inferes 1. Interrogatum de fide ab auctoritate publica, sive privata, sive publice, teneri etiam cum periculo vitæ ingenue, sine tergiversatione & ambiguitate respondere, & fidem confiteri: non quia Tyrannus habet verum jus interrogandi; sed quia est præceptum Christi locis citatis in probatione: præsertim enim loco citato Matth. Inbeant nos non timere eos, qui occidunt corpus, quòd intelligi non potest de non neganda fide pro conservanda vita, sed de confessione expressa: pullo enim ante ibidem dixerat: *Tradent enim vos in Concilia, & in Synagoga suis flagellabunt vos; & ad Præsides & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis & Gentibus.* Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Loquamini ergo, non tacendum. Insuper, quid hoc esset aliud, quam Christum & ejus sermonem erubescere? Et ita semper intellexit Ecclesia in Martyribus, qui a Tyrannis interrogati fidem confessi sunt cum vitæ dispensio. Et ratio est; quia ex confessione fidei in hoc casu magnus honor obvenit Deo & fidei, fideles in ea firmanantur, & sæpè infideles convertuntur; eum contra, si omittatur, magna Deo & fidei irrogatur injuria; & infirmi in fide vacillant. Cum enim Infideles apprehendant, Christianos in hoc casu teneri fidem confiteri, ex omissione statim credunt, eos non habere fidem, aut fidem non esse veram. Unde merito damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *Si a potestate publica quis interrogatur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacerè, ut peccatissimum non damno.* Est 13.

Dixi a potestate publica; quia interrogatus ab aliquo privato, per se loquendo, & secluso scandalo, non tenetur confiteri, sed potest uti æquivocatione, aut dicere: quid a te?

## DISSERTATIO IV.

### DE HABITU, SUBJECTO, CAUSIS, ET EFFECTIBUS FIDEI.

D. Thom. QQ. 4. 5. 6. 7.

#### ARTICULUS I.

##### De habitu Fidei. Per questionibus.

Petes 1. Utrum Fides rectè definiatur ab Apost. Hebr. 11. *Sperandarum substantiâ rerum, argumentum non apparentium.* (Hic q. 4. a. 1. o.) R. Hanc definitionem, quamvis verba non ordinentur sub forma definitionis, esse legitimum; quia continet omnia, quæ pertinent ad Fidei definitionem, ut patet ex sequenti explicatione. Dicitur (*Ib.*) *substantia*, græcè *hypostasis*, seu substantia; partim quia fides est inchoatio, basis, & fundamentum spei nostræ; substantia enim est substratum omnibus qualitatibus: partim quia facit res sperandas subsistere in nostro intellectu, ac eis tam certò assentire, ac si essent presentia. Dicitur (*Ib.*) *argumentum non apparentium*; sumpto argumento pro ejus effectu, seu ut habet alia littera *convictio*. Sicut enim argumentum inducit intellectum ad inhaerendum alicui vero, ita per fidem intellectus firmiter adheret veritatibus, non apparentibus, propter auctoritatem Dei revelantis. Dicitur *non apparentium*; tum quia obiectum Fidei est non visum; tum ut significetur, plura ad fidem pertinere, quæ non sperantur, ut sunt bona præterita, & mala peccatoribus obventura, v. gr. Infernus.

Per hanc definitionem (*Ib.*) Fides distinguitur ab omnibus aliis habitibus intellectualibus. Per hoc quòd dicitur, *substantia rerum sperandarum*, distinguitur a fide humana, quæ non ordinatur ad beatitudinem speratam. Per *Tò argumentum*, distinguitur ab opinione, suspitione, & dubitatione. Per *Tò non apparentium*, distinguitur a scientia & intellectu primorum principiorum. Si quis (*Ibid.*) ergo hæc verba in forma definitionis reducere velit, potest dicere, quòd Fides sit *Habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, factus intellectum firmiter assentiri non apparentibus, propter auctoritatem Dei revelantis*: Et hæc definitio coincidit cum hac altera, quæ communiter circumfertur: *Virtus divinitus infusa, per quam intellectus firmiter assentitur auctoritatibus.*

Petes 2. Utrum fides sit in intellectu tanquam in subjecto?

quis te constituit Judicem? Tum quia non inde tantus honor subtrahitur Deo; tum quia Infideles non apprehendunt, fidem teneri in hoc casu fidem confiteri, sicut cum interrogatur ab eo, qui potestate publica fungitur. Unde ex negata confessione non reputant, ipsum carere fide, aut fidem non esse veram, sed ipsum hujusmodi interrogationem contemnere; sicque neque honor Dei, aut fidei, neque salus proximi periclitantur. Neque etiam dicendum est erubescere Christum; quia non dicitur quis erubescere Christum, nisi qui ipsum non confitetur, quando tenetur confiteri.

Inferes 2. Videntem conculcari Eucharistiam, Crucifixum, Imagines, aut Reliquias Sanctorum, Deum, aut fidem contemni, hæreticis colloquiis adstantium fidem periclitari, teneri contradicere & fidem confiteri, si sic ista possit impedire. Sic enim exigunt honor Dei, indemnitas fidei, & salus proximi.

Inferes 3. Quòd, si Princeps, aut Magistratus hæreticus præciperet, ut omnes Catholici se proderent, certam vestem, aut signum ferendo, quo dignoscerentur esse Christiani, hi non tenerentur obedire, nec sic suam fidem confiteri; quia istud præceptum foret nimis vagum, nec quis, nisi personaliter interrogatus, teneretur confiteri. Sicque apprehendunt ipsi Infideles. Unde nullus ex antiquis Tyrannis hunc modum dignoscendi Christianos adhibuit. Quapropter ex non observatione hujus legis non potest dici, inobedientes non esse Christianos, aut eorum fidem non esse veram, sicque honor Dei & fidei non periclitatur.

Hæc usque de præcepto divino fidem confitendi. Ex præcepto autem Ecclesiastico in Trident. Sess. 24. c. 22. de Reformatione, & in Bulla Pii V. *Sacrosancta*, tenentur professionem fidei edere omnes promovendi ad beneficia curam animarum habentia, & ad Canonicatus, aut Dignitates Cathedralis. Item Doctores & Professores in Academiis.

R. affirmativè (*Ib.*) quia credere, quòd est proprium fidei, est actus intellectus, cum versetur circa verum ut tale: spe quia fides pertinet ad intellectum secundum quòd movetur a voluntate, ut dictum est, Auctor addit debere etiam esse habitum in voluntate, scilicet charitatem, ut actus fidei sit absolutè & omnimodè perfectus, id est, ut naturaliter procedat ab utraque potentia, & sit meritorius; non tamen ut sit perfectus in ratione assensus, ad hoc enim sufficit firma adhesio intellectus ex pia motione voluntatis absque habitu.

Petes 3. Utrum charitas sit forma fidei? R. (*Ib.* ad 3. o. & ad 2.) non esse formam intrinsecam & essentialiam; hæc enim est ordo ad suum obiectum; sed est forma extrinsecam & accidentaliam, quantum per charitatem fides, sicut omnes aliæ virtutes, ordinatur ad ultimum finem supernaturalem; sicque ex charitate habet, quòd suus actus sit perfectus & meritorius. Unde illud Jacobi: *Fides sine operibus mortua est.* Quamvis autem id verificetur etiam de aliis virtutibus, illud tamen Auctor specialiter docet de fide; quia in Scriptura justus dicitur prius & potius vivere ex fide, quam ex aliis virtutibus. Unde ut ostenderet, id habere ex charitate, quòd esset viva, docet specialiter, id habere ex charitate. Et hinc fluxit apud Theologos communis distinctio fidei in fidem vivam, seu formatam, & informem.

Petes 4. Utrum fides informis sit virtus? R. Quòd sit vera virtus, sed imperfecta. Prob. 1. Pars. Quia est principium boni actus, determinans intellectum ad assentiendum veritatibus revelatis. Unde, quamvis non faciat habitum simpliciter bonum in genere moris, quòd est proprium virtutis perfectæ; facit tamen bonum in suo genere, scilicet intellectivo. 2. Quia competit ei definitio virtutis: est namque bona qualitas mentis, qua bene vivitur; est enim, ut dicebam modo, principium boni actus, & qua nemo ut principio male utitur. 3. Est idem habitus cum fide formata, ut mox dicam. Adde, præcepta non dari nisi de actibus virtutum; datur autem præceptum de actu fidei informis Hebr. 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est.*

Pates 2. Pars; (*Ibid.* art. 5. ad 3.) quia fides informis non facit hominem simpliciter bonum, licet enim sit principium actus boni, non tamen meritorii in ordine ad